

www.e-rara.ch

**Alphabetum II. quaestionum miscellanearum canonico-theologicalium ex
sacra Tridentina synodo, sacris canonibus, ss. patribus, & auctorum
probatissimorum**

Sebaldus

Herbipoli, anno 1734

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: Rs 293: ba

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-47492>

[T].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

TEMPERANTIA.

1. *Inter morales sive eas virtutes*, quæ circa mores occupantur, istæ. 4. Prudentia, Justitia, Fortitudo, & Temperantia, primatum obtinent; & idcirco *Cardinales* appellantur, quòd cæteræ virtutes morales illis velut cardinibus innitantur, illæque cujusvis fortis hominum negotia omnia & otia regant ac moderentur, sicut domorum & Ecclesiarum præpositi, quos eà propter Divus Gregorius *Cardinales* appellavit & *in-cardinatos*, seu ad regendum aliis præpositos. De *prudentia* & *fortitudine* egimus suprâ, *justitiam* descripsimus in integro libello, quem in *Alph. III. DEO* dante, summabimus; de *temperantia* verò breviter tractabimus hîc. *Igitur*

2. *Q. 1. quid sit temperantia? R. virtus refrænans affectum ab iis, quæ sensibus sunt jucunda: vel, ut alii volunt, est virtus refrænans inordinatos appetitus & concupiscentias corporis, præsertim circâ gustum & tactum: quod ultimum addo, quia, ut S. Thomas probat, aliæ delectationes, ut quæ habentur in contemplatione rerum naturalium, in honoribus, picturis, cantibus cæteroquin honestis, in odoriferis &c, propriè non sunt materiale objectum temperantiæ, sed solæ delectationes in cibo, potu, & rebus venereis. Formale temperantiæ objectum est specialis illa honestas, quæ reperitur in eo, quòd homo delectationibus ciborum, potuum; & venereorum moderatè & secundùm rationis præscriptum utatur.*

3. *Nota, temperantiam semel latè sumi, & non esse specialem virtutem, sed generalem conditionem, quæ ad omnem virtuosum actum requiratur, eumque in debita mensura constituat. Strictè verò sumpta temperantia, prout refrænât appetitum concupiscibilem, ne rectæ rationi adversetur, est virtus specialis. De qua*

4. Q. 2. quodnam vitium huic virtuti opponatur? R: ei per defectum opponi *insensibilitatem* seu *stuporem*, dum quis delectationes gustûs & tactûs sic abhorret ac fugit, ut eîs nolit uti, quando, quantum, & quomodo rectæ rationi convenit, e. g. dum conjux, ita affectus, conjugii debitum nollet reddere. Per excessum verò temperantiæ opponitur *intemperantia*, quam, ut S. Thomas refert, Aristoteles *puerile vitium* appellavit & nobis maximè probrosum; eò quòd nos reddat similes brutis.

5. Q. 3. quænam sint partes temperantiæ *subjectivæ*? R: *seqq.* abstinencia, sobrietas, castitas, & pudicitia.

6. Q. 4. quid sit *abstinencia*? R: virtus moderans delectationem cibi, seu quâ quis juxta regulam rectæ rationis sibi de cibis subtrahit, prout oportet pro congruentia hominum, cum quibus vivit, & personæ suæ, ac pro valetudinis suæ necessitate. In eo, quòd abstinencia majorem dicat ciborum, quantum ad quantitatem vel qualitatem, subtractionem, distinguitur à temperantia; nam, qui e. g. manè ex rationabili causa jentaculum sumit, prandet moderatè & cœnat, adhuc potest temperans dici, non verò abstinens.

7. Q. 5. quodnam vitium abstinentiæ opponatur? R: quòd gula, cujus sunt 5. species, ortum suum trahentes ex modis, quibus immoderata fieri potest refectio. Continentur hœc 5.

Præpropere, lautè, nimis, ardentè, studiosè.

Præpropere comedit, qui ante tempus; *lautè*, qui delicatos & pretiosos cibos exquirit; *nimis*, qui plus sumit, quàm oportet; *ardentè*, qui nimio affectu manducat, vel potius vorat; *studiosè*, qui vult cibos nimis accuratè paratos.

8. Q. 6. unde *sobrietas* suum nomen habeat, & (2) quid sit? R: *ad 1.* eam ita dictam esse, quia servat mensuram, quam Græci vocant *briam*. R: *ad 2.* est virtus fecun-

secundum rectam rationem moderans inordinatum appetitum usumque potus, vim inebriandi habentis. Unde ei opponitur *ebrietas*, dicta quasi *extra briam*, id est, mensuram.

9. Q. 7. quid sit *castitas*? R: virtus moderans inordinatum appetitum usumque venereorum. Est triplex: *Virginalis*, quæ est virtus, quâ quis totò vitæ tempore se ab experimento omnis venereæ voluptatis immunem custodit: *Conjugalis*, quâ conjuges in usu venereorum servant regulam, à ratione præscriptam: *Vidualis*, quâ quis ab omnibus venereis abstinet post matrimonium finitum. His aliqui addunt *castitatem juvenilem*, quâ juvenes ante matrimonium se à venereis custodiunt. Castitati adversatur *luxuria*, de qua alibi.

10. Q. 8. quid sit *pudicitia*? R: virtus moderans & rationi subiciens delectationes, quæ actum venereum circumstant, puta, quæ sunt in osculis, tactibus, & amplexibus impudicis. Unde distinguitur à castitate, quòd hæc habeat moderari & rationi subycere delectationes ex commixtione venerea consurgentes. *Pudicitia* (inquit 2. 2. q. 151. a. 4. S. Thomas) *ad castitatem ordinatur, non quasi virtus omninò ab ea distincta, sed sicut exprimens castitatis circumstantiam quandam.*

11. Q. 9. quale vitium opponatur pudicitie? R: *impudicitia*, quæ est circa oscula, aspectus, tactus, & amplexus impudicos; & reducitur ad illam luxuriæ speciem, ad cujus peccatum disponit; nam oscula, tactus &c eatenus sunt luxuriosa, quatenus ad illicitam copulam vel molliem disponunt, estque in illis quædam istarum inchoatio.

12. Q. 10. quænam sint partes *integrales* temperantiæ? R: *seqq.* duæ, sc. *verecundia*, quæ est horror turpitudinis & vituperii, intemperantiam consequentis: ac *honestas*, quæ inclinatur ad vitanda illa, quæ prohibet temperantia.

13. Q. 11. quænam sint partes temperantiæ *potentiales*? R: 4. *seqq.* continentia, mansuetudo, clementia, & modestia, de qua jam supra.

14. Q. 12. quid sit *continentia*? R: quòd strictè sumpta, & prout est potentialis pars temperantiæ, sit habitus voluntatem inclinans ad resistendum motibus appetitûs concupiscibilis, eamque ita in bono firmans, ut, quamvis motus exurgant, non tamen trahatur ab illis contra rectæ rationis dictamen. Dixi: *Strictè sumpta*; nam, si *continentia latissimè* sumatur, est quælibet retractio ab eo, in quod appetitus inordinatè fertur: & sic sumpta non est habitus specialis; quia virtuosus in omnibus se continet ab illis, quæ suis virtutibus contrariantur. Si *continentia minus latè* sumatur pro virtute refrænante passiones, quæ sunt ad venerea, coincidit cum castitate.

15. Q. 13. quod continentia vitium opponatur? R: *incontinentia*, quâ quis facillè cedit passionibus vehementibus appetitûs concupiscibilis. Alia dicitur *effrenata*, dum quis cedit passioni vehementi ac veloci, antequam ratio consultet & deliberet maturè: alia *incontinentia* appellatur *debilitas*, & fit, dum quis, postquam ratio maturè deliberavit, & voluntas non cedere proposuit, cedit equidem passioni vehementi. Prior *incontinentia* frequenter contingit cholericis & melancholicis, quorum primi habent motus celeres, secundi verò vehementes. Altera frequens est in phlegmaticis & fæmineum temperamentum habentibus.

16. Q. 14. quid sit *mansuetudo*? R: virtus moderatrix iræ secundum rectæ rationis dictamen. Ei adversatur *iracundia*.

17. Q. 15. quid *clementia*? R: virtus, quâ mitigatur pœna, quantum iustitia, & ratio boni communis permittit. Ei opponuntur *crudelitas* & *nimia lenitas*. *Sævitia* vel *feritas* juxta S. Thomam differt à crudelitate per hoc, quòd *sævitia* aut *feritas* propriè com-

mittatur, dum homo in pœnis inferendis non considerat aliquam culpam ejus, qui punitur, sed solum punit, quia delectatur cruciatus hominum, more ferarum, quæ nocent hominibus, ut ex eorum corporibus pascantur, non verò ex aliqua justitiæ causa.

18. Q. 16. in quo *silentium*, prout est virtus ad temperantiam spectans, consistat? R: non in eo, quod est *non loqui*; lapides enim hõc modò etiam silent, sed in hoc, quod est verba metiri, ac bene ponderare, atque reticere ob aliquem honestum finem.

VISITATIO REGULARIS.

1. Q. 1. nunquid Superiores Regulares tenentur visitare sua Monasteria, & inquirere, an serventur mandata DEI & Ecclesiæ, Regula, Constitutiones &c? R: *aff.* & quidem ad id obligantur sub gravi peccato. S. Th. Cajet. N. Lez. & alii comm. colligentes id ex illo Prov. 27. *diligenter agnosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera*, & ex Trid. quod Sess. 25. de Regular. Cap. 1. 8. & 20. eas visitationes severè præcipit. *Rat.* quia Prælati Regulares sub gravi peccato tenentur subditos suos corrigere, & excessus ac culpas punire: ergo etiam circa tales excessus inquirere; cùm hi illis sæpiùs aliter innotescere nequeant. *Ant. prob. tum ex illo Christi ad Petrum Lucæ 22. & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos. Tum ex Cap. 13. de off. Jud. ord. ubi Innoc. III: irrefragabili Constitutione sancimus, ut Ecclesiarum Prælati ad corrigendos subditorum excessus, maximè Clericorum, & reformandos mores prudenter ac diligenter intendant, ne sanguis eorum de suis manibus requiratur. Quarè meritò N. Lezana t. 1. c. 15. n. 15. Prælatos, ex negligentia vel timore omittentes corrigere subditos suos, facilè peccare mortaliter, dicit cum Sa; quia tenentur illos in via perfectionis instruere. Addunt apud eund. Diana & N. Th. à. J.*

Præ-